



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXXIII. Christvs spirituali nardo vngit Magdalenam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Igniuomum: & spectas bis rea facta Deum?
 Hoc oculo (nescis?) ferali luce cometes
 Fulgurat, vnde necis conscientia signa flagrant.
 O miseram! quæ cura tuæ nunc prima salutis,
 Quæ secunda? tuæ num data porta fugit
 In quascumque voles caput anxia conde latbras;
 Deprensæ in medio crimine semper eris.
 Quid facies? saevis tot Vindicis ignibus, cheu!
 Vrimur. Ultorem vicimus, inquit Amor.
 Vicisti lacrymis placabile fulmen Iesu:
 Quod modò triste iubar, lampas Amoris erit.

LXXIII.

CHRISTVS *spiritali nardo vngit*
 MAGDALENAM.

Quod tibi flos myrræ? quod nardus amica
 corollis,
 Quod tibi munificâ balsama fusa manu?
 Quod tibi ros oleæ, pingui qui nubit amomo,
 Quemque Cilix flauâ dote maritat odor?
 Vngere vin' CHRISTVM? non illi vespere
 vita
 Incubat, aut ægro corpore vita fugit.
 At tu putre cales viuaci morte cadauer,
 Quam scelus & febris noxia mœror edit.
 Tange manu venam, mors incubat ignea pectus:
 Et dotes medicas morbida tota geris?
 Eia, crocum myrrhamque tuo transcribe Ma-
 gistro:
 Ille salus medicum *Xeris* in vnguen abit.
Relli.

Relliquias animæ si pestifer exedit ardor;
 Qui nocuas flamas temperet, humor erit.
 Exsangui in macie modò pallida mortis imago,
 Succida mox pleno flore iuuenta flet.
 Quid breuis hora facit? puncto quo fenerat
 annos,
 Tam citò de morbo cui sata longa salus!

L X X I V.

M A G D A L E N A lacrymas suas
 capillis exsiccat.

L V M I N A nimbosas vertere doloris in vrnas,
 Hinc Amor, inde pari mistus in imbre
 Pudor.
 Quas oculus vomit imbricitor ceu nubilus
 Auster,
 Mox sitiente comâ sicca relambis aquas.
 Ipsa tibi pugnas discordi diffona voto,
 Et lis diuiduum pectus iniqua secat.
 Si siccas, alios oculus cur turget in imbres?
 Sin fluis, has lymphas cur coma parca bibit?
 In bibulam telam sparsos ne verte capillos,
 Stricta vel imbriferis injce frena genis.
 Sed rigat & siccat labor alter & alter I E S V M:
 Aptæ pio discors hæc in Amore rota est.
 Si coma casta bibit, pia quos gena depluit,
 imbres;
 Num malè potat Amor, quas dolor vndat,
 aquas?

Ligo